



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

LXXXVIII. Societati per infensus ab S. Ignatio mutarus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

nomine; & hic demum se palam verisque iudiciis demones proferunt. Se illic sedem ingenti numero habere, obtinere corpus vniuersum veneficiis obstrictam; nihil omisisse quo illud perimerent, fuisseque planè rem confecturos, nisi eo sibi tantoperè exolo Ignatij nomine compellerentur, se prodere; post hoc sibi vicissim animos addere, & extimulare mutuo ad standum in gradu, & vim quamlibet sustinendam. Egit tamen hæc prima occulti hostis manifestatio, vt esset ægra immunis à febre, serenior animo & tractabilior, cibumque admitteret, tamen, quam parcissimum poterat, si esset sacris precibus expiatus, quem à profano bellè discernerebat. Eductis iam in campum hostibus initur pugna; præmittitur à serenissimis parentibus ipsaque ægrota S. Ignatio votum, ad eundem Romæ illius sepulchri, ornandique piis donariis in eucharisticum liberationis. Vnaquæque sacrarum execrationum vibratio adiuncta S. Ignatij inuocatione, magno numero hostes expellebat; iussi prodire qui laterent, & præsto esse ad linguam, vel pedes, imperatis parebant; signa dabant coacti discessus quæ iniuncta fuissent; ab Iesu Maria vnoque Ignatio se pelli conclamabant, licet alios item sanctos alij Sacerdotes in opem accerserent. Fuit inter nefarios spiritus obstinatè potens, qui ne tanta vi vrgeretur, possessam ad extrema redegit, & pertinaciter oblectatus, tandem in exitu tam deformi specie exterruit, vt eius deinde recordatione inhorreret. Dierum viginti conflictus hic fuit, & die Conceptæ Deiparæ debellatum est denique, suaque cum turma residuus hostium, stationem penitus liberam reliquit, morbisque omnibus quos consciuerant demones absolutam, decantatæ Deo ex ritu Ecclesiæ laudes, votaque in sancti honorem religiosè perluta.

LXXXVIII.  
Societati per  
insensu ab  
S. Ignatio  
mutata.

Condomi Vasconiæ vrbe, cuius alioqui honestus, perinfecto erat non modo in Societatem, sed in eius quoque Parentem odio, tantumque aberat, vt quæ nomen deceret, honorèque Beati, Ignatio recens attributum de illo loqueretur, vt passim potius simalationis illi sugillaret, & histrionice pietatis, atque ad hoc eius lectitaret gesta, vt ea vel in hypocrisim malignè detorqueret, vel in malam historici fidem, pergeretque ex iis conuicia, & dicteria fingere. Spectabat hunc suum è cælo Ignatius inimicum velut phreneticum medicus, eique à Deo misericordiam poscebat. Nocte igitur, incertum dormientinè, an vigili, adstitit beatà verendus maiestate, & choro stipatus cælestium, tacens quidem, sed per aliquam horæ partem spectandum se sistens, sub discessum vero tam blando illum intuitus est vultu, tam dulci amoris perfuso illecebra, vt hic eius animum oculorum iactus configeret. Lecto defilit, conturbatus, flens, fronte humum verrens, iniuriarum veniam ab eo petit, sumptam ex abaco eius vitam suauiat, rigatque lacrymis, sanctè pollicitus, tum S. Ignatio, tum Societati æterna deinceps obsequia, & obseruantiam tanto sanctiorem quanto ipse fuisset iniuriosior.

LXXXIX.

Longè aliter cessit cuidam alteri, sed religioso, cuiuscumque tandem  
Ordinis